



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Batavia, Sive De Antiquo Veroque Eius Insvlae Qvam
Rhenvs in Hollandia facit situ, descriptione & laudibus;
aduersus Gerardvm Noviomagvm, Libri Dvo**

Aurelius, Cornelius

Antverpiæ, 1586

Cornelii Avrelii De Situ Et Lavdibus Bataviae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38123

I
CORNELII AVRELII

DE SITV ET LAVDIBVS

BATAVIÆ

LIBER PRIMVS.

Batauiam Hollandis nulla ratione præripiendam, Historicis argumentis probatur.

CAPVT I.

ROMANI, certissimè cognito, Britanniam rebellasse, (quam sibi olim sub Caio & Claudio, auxiliariis Batauorum cohortibus fecerāt tributariam) mox communi Senatusconsulto illuc Constantium Magni Constantini patrem legauerunt. Is destinatum sibi munus sagaciter obiens, Angliam tributa reddere cogit, perduellionibus aqua ignique interdictis. Rebus itaque compositis, insulaque Anglorum recepta, mox legatus Helenam Cœli filiam (vt eos arctius in fide & officio sibi retineret) loco vxoris accepit, quam ille pridem (quòd se veneno petisset) Romæ occiderat. In huius satellitio Demarchus quidam merebat, ab Athenis exilio relegatus,

A

fortu-

fortunamq. quaquà versus sequens, vir planè armis strenuus & prudentia singulari. Qui audita ex commilitonibus incredibili Batauorum probitate, visendæ gentis pellets desiderio, è Britannia Staldunum cum suis appulit. vbi Mosâ fluuius haud procul ab æquore, reducto paululum sinu, quasi portum quendam egredientibus mare fecerat. Exploratis exul Atheniensis omnibus quæ mox vsui fore ducebat, lociq. amœnitate captus, & vberè gleba, sedem sibi illic constituit. Tum Atticæ religionis memor, aram in honorem dei sui ibidem erexit, cui Monifchyros (nos Vnum fortem dicimus) nomen erat. Cuius adhuc auspicio vicus ille corrupto paululum vocabulo Monastherium vocitatur. Hic oraculum erat, omnium quæ tum in Batavia minoreque Frisia stabant longè celeberrimum. Vnde & finitimi omnes huc consultandi gratia confluebant, & offerentes deo loci paruulos suos, credebant fortiores omnibus euasuros. Proinde exire tritum in gentibus prouerbium, Fortissimos omnium Batauos esse, qui deo vni forti ab ipsis cunabulis dicarentur. Erat ea tempestate inter Bagaudas rusticus quispiam eo in districtu commorans, vbi tum Rhenus Batauorum facto sinu ad Veteres tendende-

Monster
propè
Maeldijck

Bogra-
uen
Dudeswa-
zer.

tendebat aquas. Huic ouis domestica agnum proceriore forma & corpore enixa est, quàm pro ea ætatula par esse videbatur. Homo insolita stupefactus specie, pecudem deo Monischyro destinat immolandam; ratus sibi deum illum magis magisque propitium fore, si tam insuetum munus ei omni ex grege obtulisset. Arripit ille duorum ferè dierum iter cum matre agni, ne lactis victu proles interim fraudaretur. At ubi ad profanum Monischyri fanum peruentum est, ilicò aruspex (qui tum oraculo præerat) prospiciens editum ex ouicula prodigiôsæ magnitudinis agnum, suo more spiritu arreptus fanatico præfagire cœpit & vaticinari, buccifque reboare crepitâtibus, & ita circumstantibus dicere: Quisquis, inquit, omnium vestrum hanc pecudem immolauerit, eius diuinamus gentem genuina fortitudine & industria suis semper hostibus superiorem fore. Audiit hoc sacerdos qui tum expiandæ hostiæ gerebat officium, & possessorem bestię alloquens; Vade, inquit, pro septem frugis triticeæ spicis in proximū agrum; quoniam non immolabitur hic agnus, nisi prius his fuerit sacratiore ritu coronatus. Rusticus omnis technæ inscius & commenti, abiit in campum. & ne religioni quicquam deesset,

Doeldijer
terwe.

spicas haud aliter atque iussus fuerat colligit, quæ tum ibi, & in hodiernum vsque diem vbere gleba proueniunt. Verùm prius quàm ille reuerteretur, occisus est fatalis agnus ab eius incola ruris, qui tum proximè sacrificium stabat. Quibus cognitis, herus animalis haud parum excandescens, mæstus abiit, matremque ouiculam ad ædem Monischyri iratus reliquit, dicens ad loci inquilinum, Qui tuo genio filium immolasti, & matrem pro simili creando foetu in tuam perniciem retineto; huiusque iniuriæ, Harpocrates noster vindex esto. His ita iurgio dictis, tum mox discessum est. & quod præful dei Vnifortis diuinando prædixerat, hoc nimirum hac luce clarius ad hunc vsq. diem veraciter constare videmus. Quanquam enim Batauus vterque fuit, tamen (vt coniectoris veritas comprobetur) simulatque Martis opera opus est, Rhenanus semper à Mosano, vt ita loquar, Batauo superatur. His itaque tum historicè, tum allegoricè prælibatis, tandem quò scopum intendam te nunc facile mi Renerie arbitror animaduertere. vt qui minimè suam (quod ad me attinet) Hollandis omnino suam eripi, nedum præripi, Batauiam. Verumenimuerò non atrabile, non maledictis (vt suus plerisque

risque mos est) sed aperta ratione, & veterum dictis, & quidem adeò factis, hostem quisquis est, piè admonitum cupio, totisque eloquentiæ viribus eniti in mea illud reducere castra, & de turbato forsitan beneuolum, de suspecto placatum, de æmulo gloriæ nostræ fautorem, & de aduersante facere mihi propitium & probè consentientem. Plurimum enim eius eruditioni pariter & religioni deferendum esse quis ambigit? Sancti præterea patres (quorum vestigia exosculando veneror) non probant plurima scire, si ipsum sciendi nescias modum. Omnem quippe scientiæ fructum & utilitatem in ipso sciendi modo constituere. Quid igitur obsecro discis, nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo deniq. fine vnumquodque nosse oporteat? quo, inquam, ordine; ut illud prius, quod maturius mouet ad salutem. quo studio; ut illud ardentius, quod ad Dei proximiq. amorem vehementius accendit. quo deniq. fine; ut non ad inanem gloriam & ostentationem, sed ad tuam potius aliorumq. salutem lectio tua proficiat. Quorsum, rogas, ista? Ut planè quisque religiosus intelligat, parum sibi esse curandum, quod homines inhabitent solum, modò is sibi aliisq. sacra eruditione ac disciplina vindicet

6 CORNELII AVRELII
dicet polum. Non enim, testante scriptura
gentem propter locum, sed locum propter
gentem elegit Dominus. nec plurimi facit
barbatus ille Hieronymus, Hierosolymis
habitasse, sed ibidem bene vixisse summis
effert præconiis. Postremò, quemadmo-
dum Theologis vitio damus si Prophetarum
oracula violenter in suum pertrahunt insti-
tutum; ita & Historiographis minimè con-
ceditur nimia perplexitate, ob similibus
consonantiam syllabarum, veterum gesta
depravare; & pro voto aliorum fila præter
ordinem suo glomeri intorquere.

*Aliam esse Batuam & Bethasiam; aliam
quoque Batauiam & Bethicam.*

CAPVT II.

ET quoniam ex rerum differentiis æqui-
uocè distinctis ad certiore[m] earum per-
ueniemus notitiam & veritatem: quantum
inter se Betua & Bethasia, Batauia quoque
& Bethica differunt quàm paucissimis expli-
cabo. vt vel eò clarius ac proinde facilius
omnem extricemus errorem. Bethicam,
extremum terræ nostro in orbe versus occi-
dentem nouimus esse; vbi Europa ab Africa
dirimitur. Interiacentibus tamen duabus
insulis,

Bethica.

insulis, quas Gades (quòd in modum sepi ^{Gades.}
 mari circudentur) appellamus. Primam,
 & quidem maiorem alij Erythræam voca- ^{Erythræa}
 uere. quòd Tyrij eorum origine exorti ab ^{insula.}
 Erythræo mari ferebantur. Alteram, alij
 Aphrodisiam, nonnulli Iunonis insulam di- ^{Aphrodisia.}
 uinarunt. In huius templo & ciuitate, quæ
 Gadium, aliàs Iulia dicitur, Hercules ad per-
 petuam præsentia suæ memoriam, gemi-
 nas ex ære octo cubitorum fixit columnas.
 non secus atq. olim Bacchus ad Orientem;
 Alexander Magnus apud Arimaspos versus
 Aquilonem, cum se diis æquare, & cælestes
 accersere tentat honores. Hoc vnum deni-
 que restat, vt ad Meridiem magnus ille Hi-
 spaniarum Rex & egregium militiæ decus,
 superatis Lunæ montibus nominis sui mo-
 numenta relinquat. Nec factu difficile fue-
 rit, breuique auspiciandum, modò Christia-
 ni pròh dolor sanguinis effusione inter Ca-
 tholicæ fidei reges satis scuitum esset. Hanc
 Bethicam à Bethi fluuio qui Hispaniam & ^{Bethica.}
 Lusitaniam, nunc Portugalliam, separat, ab
 incolis Trudetanam regionem, nos Grana-
 tam, vbi sedes est regni, dicimus à grano
 (Græci κόκκον vocitant) quod ibidem copio-
 se proueniat. in quo lanas pulcherrimo tingi
 colore ostendit Martialis, vbi dicit:

*Bethis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellerat ingis aquis.*

Bethasia. Nunc Bethasiam percurramus. Hæc Eburo-
num & Leodiensium terra est cis Rhenum
ad vtranq. Mosæ fluminis ripam sita. Cuius
populi carbonum è terræ cespitibus eru-
endorum auidè sunt studiosi. quos pro fabro-
rum vsu Dordracum, extremum & nobile
Belgarum oppidum, actuariis nauibus con-
uehunt. Vulgariter, **Betheliers** appellati.

Batua. Porrò Batuam ingredienti occurrit mihi in
primis maxima eius claritas, quæ fide & reli-
gione nos præcesserit. Hanc enim Marcel-
linus presbyter ante Willibrordum ad Chri-
sti fidem primus conuertit. deinde Sanctus
Roerenfridus nouellum in Baptismate po-
pulum à Westervordio vsque in Vicum are-
nosum continuis prædicationibus salubriter
rexit. qui tandem innumeris clarus miracu-
lis, sanctissimam corporis sui glebam depo-
suit, & in Ulmo quietis suæ locum elegit. Et
quid de huius terræ situ dicemus? Mira aëris
cælique fruitur clemētia; Agrum habet fru-
gibus fertilem, pecori bonum, fructiferis fe-
cundum arboribus, fluuiis & saltibus, pascuis
& lacubus pro cuiusque loci conditione cul-
tissima. à Rheno Lobeceno vsque in Lin-
Linghen. gam procurrens. Hominum genus habet
salubri

*Sandt-
wijck.*

Eist.

salubri corpore, velox, laborum omnium
 patiens, tractabile, & suo principi ad extre-
 mam vsque seruitutem ingenuè obediens,
 conuictu facile, fidei in suos & amicitiae te-
 nax & obseruatissimum: in alienos non ita.
 Et quid tum amplius? O nobilis & felix
 Batua, quæ Romanis Imperatoribus præpa-
 rasti cunabula. In te enim Iulij Cæsaris so-
 ror cuidam principi, Carolo nomine, iun-
 cta, Octavianum semper Augustum genuit,
 & Octauiam eius germanam. Hæc regi Bra-
 boni nupta, alterum in Nouia, (nunc No- *Nouia.*
 uiomago) genuit Carolum, cui Imperator
 auunculus plurimas dedit regiones, quibus
 ad annos fermè nonaginta, magnificè præ-
 fuit, vsque ad ipsa Tiberij Cæsaris tempora
 perdurans. Is Titum reliquit filium, qui rex
 in Germania Vespasianum genuit Impera-
 torem. Quid multis? Ea tempestate qua
 Carolus regnabat septimus (vt plurima inte-
 rim transeam) venerunt ex Pannonia in
 Germaniam Sicambri, anno salutis nostræ
 ccclxxx. sub Imperatore Gratiano. à quo
 Angesifus huius Caroli filius Romam dedu-
 ctus & iterum dimissus, à Sancto Martino
 Turonum Episcopo baptizatur. genuitque
 Carolum octauum, Brabonem, & Veraiam
 filiam; quæ Haymoni nupta Rhenano prin-

*Haymonis
filij.*

cipi quatuor genuit filios. quorum memoria
vniuerso orbi celeberrima est, & ad præsens
vsque Haymonis filij vocitantur. Horum
minimus nomine Adelbertus omnia bona
sua Ecclesiæ S. Petri in Corbia contulit. al-
ter autem nomine Reynaldus in Colonia
Agrippina tandem martyrio affectus, nunc
Tremoniæ quiescit, multis coruscans mira-
culis. Quid ad hæc vos dicitis ô Batuani?
Anne hæc vobis sufficiet gloria, nisi etiam
ab alius falsò vobis eam vindicetis? Sinite,
obsecro, Batauos, vel arma cohortesq. suas
non sine gloria Imperatoribus illis admini-
strare, quos vobis datum est in lucem edi-
disse. Contenti igitur vestra estote gloria.
quorum nimirum honor is demum ac tan-
tus est, vt alieno colore seu fuce non egeat,
neque aliquando cumulatior fieri possit. Ve-
rùm vt ad Christi fidem redeam (inde enim
diuertit oratio) nõne vobis præ omni na-
tione quæ sub cælo est, desuper datum est il-
lum Christianorum hostem acerrimum Si-
monem Godefridum Normannorum du-
cem occidere? quem ne Francorum qui-
dem Rex & Imperator cum omnibus suis
potuit ab immani totius Europæ vastitate
iam vrbibus euerfis, templisque sanctorum
incensis cohibere? Hunc enim à Frisia re-
uertenti-

*Simonis
Godefridi
caedes.*

uertentem (qua tum à Gallorum rege in
dotem neptis donatus fuerat) vos soli cum
multis Danorum millibus interemistis? &
in Batua vestra tandem permissione diuina
Christianorum vindicatus est sanguis, quem
ille crudeliter per totum ferè orbem effude-
rat. Qui ergo gloriatur, in Domino glorie-
tur. Nec opus est cauillofis & distorte com-
plexis veterum commentatorum auctori-
tibus, ab aliis gloriam haud secus atque cla-
uam ab Herculis manibus extorquere. Sua
quenque liberaliter sequitur manetque glo-
ria. Attamen Batua plurimum à nostra dif-
fert Bataua. Non enim illa à Walli dum à
Mosa excipitur secundum Cæsarem incipit,
neque Catthos sibi habet finitimos, neque
Caligulæ speculam, neq. Oceanum in fron-
te, marisque æstuarium, quanquam suo il-
lam diluuiio pelagus nõ semel inuasit atque
diripuit. Plurima apud veteres etiam Pro-
phetas legimus, quæ huic nostro tempori &
locis poterunt vt sonant haud immeritò co-
aptari. Dicit enim Esaias: Ite angeli velo-
ces ad populum terribilem, post quem non
est alius; cuius diripiunt flumina terram eius.
Terram, quam diripiunt flumina eius, si ad
sola respicimus verba, rectè Hollandiam in-
telligimus. Nam lacus ipsi (propter fre-
quen-

quen-

quentem maris incursum) quos in visceribus habet, vltra centum iugera agrorum quotannis sua aluione diripiunt, deuorant & consumunt. Astipulabor itaque ex verbis Prophetæ, Hollandos populum esse terribilem instar leonum, vbi vel semel fuerit pro-uocatus; cuius terrorem & fortitudinem non Damiatæ modò, verumetiam ipsi Romani & Britanni sæpius experti sunt. Verùm longè distat hæc à sensu Prophetico tam scrupulosa interpretatio. Iudæorum enim populum Propheta his exprimit, qui erat terribilis imò & terrori omnibus propter miseriam & calamitatem quam sustinebat, & post quem non est alius, populus scilicet miserabilior. cuius terram flumina, id est impetus militum nunc ex Ægypto, nunc ex Babylo-ne venientium, diripiunt, hoc est prædantur & deuastant. Incongruum igitur & insolens est huiusmodi captiunculis curiosius intendere, & veterum sententias aliter atque depromptæ sunt, incrustare.

Accu-

*Accuratissima Rheni qui à tergo Batauiam
alluit descriptio; qua examussum & eui-
denter Batauia situm in longum & latum
cognoscere possumus, secundum Casarem
& Tacitum.*

CAPVT III.

NE igitur libera nonnullis errandi detur
ocasio, ipsam Batauiam ante omnium
oculos depingemus; modò perennem Rhe-
ni decursum prius descripsimus. Rhenus
itaque inter tres maximos Europæ fluuios
deputatus, de Rheticarum Alpium iugo, vs-
que in Oceani profunda cursum dirigit; Ro-
manis olim memorandus contra feras gen-
tes Imperij murus. Hic diuersas alluit regio-
nes, donec variato sæpius nomine, perpetuo
decursu mari magno illabitur. qui & diuersa
diuersarum partium flumina in se excipiens,
euomit secum in pelagus, quo ipse tendit.
Porro vbi Dusburgo appropinquat, in ge-
minos se riuos diuidit. Vno (Iselam dicunt) *Iselam.*
alluens Bronchorstum & Zutphaniam, Da-
uentriamque & Hatthemum, apud Cam-
pium ciuitatem maritimam in fretum ten-
dit Austrinum. Altero (nonnulli Lecam *Leca.*
vocitant) Hussenum præterlabens & Mal-
burgum, alluit Arnhemum & Oisterbe-
cum,

* nunc,
quia olim
non. ut pa-
tebit ex se-
quentibus.

Walis.

Helinum
praecipuum
Rheni bra-
chium.

Goricum.

cum, Wagenum, & oppidum Rhenum; Dorestadum quoque. Et * nunc tandem Belloportum (Scoenhoviam dicimus) donec in Mosam refusus mare subintrat. Verum alia ex parte Nouesium deserens & Iuliacum, ubi Nouiomagum attingit, Walis dicitur, usque dum venias Lodestemum. Qui deinceps Mosa dictus (aut si mauis à Mosa exceptus, Lecamque deorsum, & Gaudanum Iselam, Romani impiam) in se recipiens, ad Oceanum aequè decurrit. Ast iusto hic forsitan spatio, & quidem cis Dordracum Mosam deducētibus, describendum nobis fuerat praecipuum Rheni brachium (Plinius Helinum vocat) quo plures Salandiae efficiens insulas, tandem prope Walachriam Oceano commiscetur: nisi duntaxat nostri esset propositi, quod ad solius nostrae Bataviae situm attinet demonstrandum.

H A C itaque multiuaga Rheni praemissa in pelagus decursione, nunc ad incepta reuertamur. Igitur ubi Walis fluuius desinit, ibi Iulio teste nostra Batavia incipit. Hunc locum nunc Goricum ciuitas occupat, quam & celebriorem efficit amplum D. Martini collegium, & arx munitissima, perpetuum Caroli primi Comitis nostri monumētum. Hic principium Batauorum olim fuit, ad
Walim

Walim scilicet & Lingam. præsidium sanè
 quàm munitissimum regniq̃ue principium.
 de quo Theodericus, primus Catholicæ fi- *Theoderi-*
 det Comes, quem Carolus Caluus tum his *cus primus*
 terris præfecerat: Dacorum monarcham, *comes Ca-*
 qui iam pridem omnia in circuitu vastau- *tholicus.*
 rant, potenti manu eiecit. Ab hoc præterea
 loco ripa tenus Batauia nostra progrediens,
 Dordracum (Belgarum, alij Slauorum op- *Dordra-*
 pidum) in vltiori Mosæ alueo relinquit; & *cum.*
 transitis deinde Lecæ Ifulæq̃ue faucibus, vs-
 que in Roterodamum, Erasmi nostri, (opti- *Roteroda-*
 mis terrarum religione & doctrina notissi- *mum.*
 mi) cunabulum, protenditur. A quo, eo-
 dem in aggere, Delphicos inuisens portus,
 opus mirabile & sumptuosum, Scidamum,
 Vlardingumq̃. pertransit. Postremò Brielli
 peninsula è prospectu à longè consalutata,
 Stadunum cum Mosâ flumine tandem in-
 trat. Porrò vbi Mosâ Oceano miscetur, no-
 stra nihilominus Batauia contra chorum ad
 Septentrionem procedens, & à pelago in
 fronte excepta, vsq̃. ad torrentem (qui ma-
 rinis è collibus distillans, sacrum in Haga
 Comitæ præsecat lucum) plurimis circum-
 uallata terrarum tractibus percurrit; ibiq̃ue
 finem habet ac desinit. Batauis mox Catthi
 sunt finitimi, qui hinc vsq̃. in Sacræ domus *Hillehom*
 torren-

*Wassenaria
domus ori-
go.*

Verona.

*Doresta-
dum.*

*Traiecten-
sis urbis
varia ap-
pellationes.*

torrentem transeunt. His modò Wassenarij
heroës absolute imperant, ex Claudio Ciui-
le & Cereale trahentes originem. Catthos
sequuntur Caninesates vsq. in Alcmariam.
quibus à Verona olim ciuitate maxima, ac-
cedunt Frisij & Frisiobones, vsque in mare
Fresonicum. Hæc quinarya partitio quæ
apud Plinium Tacitumque celebratur & le-
gitur, totam nunc Hollandiam complecti-
tur. Verùm vt ad nostrum reuertamur insti-
tutum, Batauos & Catthos, auctore Tacito,
mare ipsum à fronte alluit, vt supra diximus.
& Rhenus à tergo excipit in hunc maximè
modum quem nunc ponemus. Itaque Rhe-
nus ille magnus Germaniæ fluuius, olim à
Rhenoppido, Rhenani regis basilica & ha-
bitaculo, prope Dorestadum (alij Batauo-
dum) ciuitatem maximam & quinquaginta
duabus Ecclesiis ante Danorum in-
cursiones celeberrimam, solito cursu (Rhe-
nus inquam) descendebat, versus arcem
Antoninam, barbaris Wiltiburgum, nobis
Traiectum, Ptolomæo Nauariam, quòd il-
lic nauium statio erat in traiciendis merci-
bus quæ ex mari aduectæ fuerant. Deinde
Woirdenum, Swamedamum, Rinebur-
gum, arcemque Romanorum alluebat. In-
de mox gemino dispartitus gurgite Leydas
pertran-

pertransiens, tandem in Oceanum apud Catthos ibat. Omnia igitur loca, ciuitates, vici, & paludes (vt breuiter curram) quæ in fronte à Wali & Mosa marique, vsque in Catthos alluuntur, Batauorum sunt. Et iterum quicquid terrarum à Dorestado Rhenus in tergo vsque in Catthos iuxta completitur, vnanimi omnium historicorum sententia Batauiam constituit. quam nunc maxima ex parte, haud iniuria Hollandiam, alij Holtlandiam dicunt; quòd olim tota ferè syluestris fuerit & nemorosa. Sic enim veterum comitum literæ aureis obsignatæ sigillis, quas ex venerabili Domino Menardo abbate Hecmundensi, & primate nostro olim accepi; qui eas legit, & in sacrario cœnobij sui reconditas habet. qui etiam earum rerum quæ patriam suam (Hollandus enim est) illustrare possunt, quàm maximè studiosus existit; bonorumque omnium ac perinde literatorum liberalissimus fautor & patronus. vir sanè integra fide, integriore doctrina, integerrima religione. Cuius (vt verum fatear) eiusque monasterij haud immerita præconia in eo libello, mi Reinerie, inueneris quem De Hollandiæ nostræ illustribus viris & locis inscripsimus. Nunc ad nostram Batauiam, vnde excessimus, pedem

Leida Leidarū, sicut Athena, propter honorificentiam tantæ ciuitatis.

Hollandia.

Menardus abbas Hecmundensis.

18 CORNELII AVRELII
dem referamus. Igitur ne meis dūtaxat ver-
bis fides adhibeatur, nec illis perinde atque
Apollinis oraculo stetur, vetustissimorum
testimoniis auctorum singula comprobabo.

*Batauiam maxima ex parte ad Hollandos
pertinere, probatissimorum auctoritati-
bus scriptorum irrefragabiliter & eui-
dentissimè demonstratur.*

CAPVT IIII.

RECTIVS nihil vnquam apud Histori-
cos agi posse Tullius ipse definit, quàm
vt stabiliendæ veritati veterum adducant te-
stimonia. Hoc enim hominibus potissi-
mum innatum esse cognouimus, vt verita-
tem vel ipsa instigante natura fideliter in-
quirant. quam etsi per se minimè possunt
inuenire, consulunt nihilominus sapientes;
vt saltem eorum vestigijs inhærendo, veri-
tatem ipsam præclarius inuestigent. Horum
equidem prouocatus exemplo, & vt apes so-
lent singulis insidere floribus, & inde quod
ad rem suam conducit colligere: haud ali-
ter, quanquam librorum mihi curta supel-
lex, indagandæ veritatis causa & intuitu, re-
ceptorum dicta scriptorum in medium ad-
ducam. Virtus enim intellectualis (si quid
Philo-

Philosopho creditur) augmentum habet ab experimento & tempore. Illi ergo in dubiis sunt nobis potissimum consulendi, qui vel exercitio vel senio plurima cognouere. Ad hoc etiam nos suo in Cantico Moses hortatur, dicens: Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos & dicent tibi. cc

IGITUR Hollandiam Romani longè ante Christi tempora Batauiam, quòd profunda & infera videbatur, vocitabant. Nam Batauia insularis est prouincia, bicorni Rheno conclusa, qui vtraque ex parte se Oceano immergit. Hoc ipsum & Iulius Cæsar quàm maximè affirmat; qui in Commentariis ita Lib. 4. scribit: Mosa ex Vogeso monte profluens, in finibus Lingonum qui sunt in Galliis supra Heluetios (ne omnino verbis eius teneat) & quadam parte Rheni receptus, quæ Walis dicitur, insulam efficit Batauorum. neque longius ab Oceano millibus passuum octuaginta in fretum influit. Hunc quidem locum omnes qui in Cæsare scripsere commentatores interpretantur de Batauis qui nunc Hollandi appellantur. nec iniuria, neque absurdè. Si enim hos Iulij passus in nostra miliaria redigere voluerimus; procul dubio vndecim circiter constituent. Quod profecto spatium à Gorico ciuitate, vbi Wa-

lis definit vsque in Oceanum, iusto resultat calculo. nisi quòd assidua forsitan maris alluione, nonnihil terrarum à Cæsaris numero nunc videas diminutum. Batauiam igitur rectè dicimus, teste Iulio, ibi incipere, vbi Walis in Mosam decurrit vsq. in Oceanum, per octuaginta passuum millia. Batauiam itaq. affirmant Hollandiam esse, longè discrepantem à Betua, siue Batua, quæ Sicambrorum hodieq. est; & à Bethasia quæ Eburonum est; cis Rhenum ad vtranque Mosæ fluminis ripam; de quibus satis supra meminimus. Quidquid ergo terrarum brachio Mosæ in fronte, vbi Walim excipit, & brachio Rheni à tergo prope Dorestadum interiectum protenditur vtrinque vsque in Oceanum, Batauia est. At non continuò omnem Hollandiam dixerim Batauiam; neq. rursus omnem Batauiam esse Hollandiam. quandoquidem & pars Traiectinæ diœcesis, nec forsitan minus Gelriæ. si quid ad eam pertinet quod à Mosâ iuxta Goricum protrahitur, vsq. dum venias Dorestadum; vbi Rhenus à tergo Batauiam alluere incipit. quod profectò in singulis Hollandia non est. Ad horum omnium astipulationem Raimundum virum æquè præclarum, & haud vulgariter doctum adducimus, ita scriben-

scribentem in Indice Commentariorum
Cæsaris, & maximè earum rerum quas ad
cognitionem urbium, fluuiorum & loco-
rum inuenit: Bataui, inquit, populi sunt in-
ter Belgas. Nam Mosa flumen qua parte ex
Rheno, ferè ab Oceano octoginta millibus
passuum fluit, qui Walis appellatur, Batau-
orum efficit insulam. Hi hodie Hollandi vo-
cantur, diœcesis Traiectésis, propinqui Fri-
siæ, & ducatus Gelriæ, suntq. mari Oceano
finitimi. Cui profectò sententiæ accedunt
recentiores quidam, sed viri æquè doctissi-
mi, Ioannes Tortellius, Beroaldus, Raphaël,
& noster Gaguinus. Quocirca obsecro hîc
nobis paulisper subsistere liceat, & hac ipsa
luce clarius demonstrare, quàm absurdè illi
desipiant, qui Batuam pro Batauia intelli-
gunt. Sed obseruandum huiusmodi fue-
rat, teste Quintiliano, ne id quod similitu-
dinis gratia ascire nituntur, aut nimis obscu-
rum sit, aut ignotum. Batuæ enim princi-
pium ibi temerè ponunt, vbi ferè ad qua-
tuor milliaria Walis nondum à Mosa excipi-
tur. numerumq. Cæsaris quo octoginta pas-
suum milia colligit, causantur esse deprava-
tum. Verùm hoc illis pro tam breui spatio
ingenuè condonaremus, si non omnes Geo-
graphi (siue Ptolomæum, Dionysium, siue

Pomponium cites, aliosque innumeros) describerent singulas terrarum nationes ibi desinere, vbi magis magisque Oceano appropinquat. Omnes quippe fluuij ad mare magnum veluti in antiquum chaos & matrem aquarum omnium relabuntur. Rursus ibi terrarum ponuntur initia, vbi remotius à mari dispariantur. At nescio qua iste temeritate hoc inferè & in caudam (vt cum Propheeta loquar) quod illi superè in caput locitant. Rectius igitur Iulius auctoresque ceteri nostram statuerunt Batauiam; qui eam ibi asserunt incipere, vbi Walis à Mosa excipitur, & inde in Oceanum vsque per octoginta passuum millia in fronte protendi. & in tergo quoque à Rheno exceptam, tandem per centena passuum millia, prope Catthos æquè in mare deduci. Verum enim uerò hunc protinus aduersarij nodum rumpentes, nouam sibi concinnant technam, & aliud (ne Geographis vt diximus aduersentur) Batauiæ suæ quærentes principium, Plinij centenarium in passibus numerum congeminant, vt Lobecam saltem pertingere detur; vbi manufacto Mosa alueo Walim incurrit; hicque Batauiæ suæ initium nituntur reponere. Porrò hi Cæsaris verba atque sententiam haud rectè videntur trutinare; qui
 præcul-

*Batauia
 verus situs.*

proculdubio ibi fatetur Batauiam incipere, non vbi Mosa Walim, sed vbi Walis Mosam influit. Credimus vel tandem nunc illis ista sufficere, qui nostram Batauiam facere suam enituntur. Sed littus arant, laterem abluunt, frustra q̄. laborant; nisi fortè aut nouam sibi creare volunt, aut somniare Batauiam. nouum præterea effodere pelagus in quod se RhenuS exoneret; nouam in aspera aut alibi properabunt forsitan erigere Pharum; quæ nauigantibus, suis per noctem inferuiat facibus. Hæc modò de Batauiæ nostræ solùm dixerimus fronte, quâ per Mosam in Oceanum deducitur. quid si ad tergum eius pergamus, quod RhenuS alluit? Vbinam, obsecro, hi Batuani reponēt sibi Dorestadum, olim ciuitatem Batauorum maximam? vbi Traiectum, arcem Antoninam, & nunc Batauorum metropolim, nostrorumq̄. sedem pontificum relinquent? vbi denique (vt interim interiora eius viscera, Veteres scilicet Dudera-
ter.
Schoon-
houen. aquas, Belloportam, Goudamque meam & Delphos transeam) tot propter Rhenum vicos arcesq̄. sitas, & Arcem Romanorum, grande Neronis opus. Igitur aut hæc quæ recensuimus loca in sua nobis quam somniant ostentent Batauia; aut certè suo errori probè consulentes, in nostra hæc omnia no-

bis relinquunt mirenturque Batauia. At de
 his hactenus. Mauelem equidem nostra in-
 genuè defendere, quàm aliena satyricè re-
 fellere. Neque enim hoc nostram decet æ-
 tatem, neque vitæ institutum. Omissis ita-
 que his blateronibus & plagiariis; cupientes
 beneuolis atque amicis (quoad eius per nos
 fieri potest) haud segniter satisfacere; alte-
 rum in rem nostram producemus testem,
 itemque & tertium, vt nihil ambigui relin-
 quatur. Accedat igitur Cæsari Plinius ipse;
 cui meritò adhibenda fides, quòd Romanæ
 classi præfectus, nostra ferè flumina enauigauit,
 & res Germanicas viginti & amplius
 libris descripsit. Si tamen vetustissimus co-
 dex, quem Parisiis apud Victorinos legi,
Plinij laus. non exorbitat. Is præterea Plinius est, quem
 qui non legit, censetur indoctus: qui lectum
 fastidit, indoctior: cui deniq. non sapit, in-
 doctissimus. Nec omnino in tanta litera-
 rum iactura naufragamur, quamdiu nobis
Lib. 4. cap. 6. superstes est Plinius. Is itaque talis tantusque
 auctor ita de nostra scribit Batauia: In Rhe-
 » no autem ipso, inquit, prope centum millia
 » passuum in longitudine est nobilissima Ba-
 » tauorum insula, & Caninefatum, & alia
 » Frisiorum, Caucorum, Frisiabonum, Stu-
 » rionum, Morfaciorum. quæ quidem insulæ
 sternun-

sternuntur inter Helinum & Fleuum. Ita ^{cc Offia}
 appellantur ostia in quæ effusus est Rhenus. ^{cc Rheni.}
 ab Septentrione in lacus: ab Occidente, in ^{cc}
 annum Mosam se spargit. medio inter hæc ^{cc /}
 choro, modicum nomini suo custodiens al- ^{cc}
 ueum. Hæc Plinius. Cui è vestigio prius- ^{cc}
 quam aliis distrahamur, Cornelium Tacit- ^{Lib. xx.}
 um iungemus, nostram in hoc veram Bata- ^{cc}
 uiam describentem: Batauia, inquit, insula ^{cc}
 quam mare Oceanum à frôte, Rhenus am- ^{cc}
 nis tergum ac latera eius circumluit, & tem- ^{cc}
 pore hyemali aquis obtegitur. Quibus ex ^{cc}
 verbis hoc breuiter citra omnem iniuriam
 inferre possumus, vt si qui nobis Batauiam
 præripere gestiunt, doceant imprimis neces-
 sum sit, Caninefates sibi esse finitimos; vr-
 bemque ipsorum nominatissimam, & ipsis
 etiam Ægyptiis atque Heliopolitanis formi-
 datam; Herlemum nunc dicunt, olim Bac- ^{Herlemum}
 chi syluam vocitabant. Deinde vt inter duo ^{Wacke-}
 Rheni ostia (Helinum dicimus & Fleuum) ^{nes.}
 demonstrent sese contineri. Postremo, ni-
 hilominus in fronte ab Oceano se ablui, æ-
 que nobis declarent. Sed quoniam hæc om-
 nino præstare non possunt; quia neque Ca-
 ninefatibus sunt proximi, neq. Helino com-
 plectuntur & Fleuo, neque ab ipso mari af-
 fluuntur, nobis cum pace Batauiam quæso

relinquant. Nisi fortè ingenita sibi pertinacia dicere pergant, Holládiam prorsus olim terram non fuisse, sed nuper nouam cum ceteris prodigiósæ eruptionis insulis è pelagi visceribus emerísse. Verùm hanc ipsorum hallucinationem, scotoma & vertiginem facìle medicabimur; si, qua ratione olim Rheni cursus apud nos sit obturatus in medium adferamus. Omnis enim contentio eorum & controuersia eatenus tendere videtur, & alibi Batauiam quærere: quatenus non aspiciunt nos in tergo, vt olim, à Rhe-no allui.

Plurima temporis morbo ita ab hominum obliterari memoria, vt ne illa quidem olim fuisse certò constet. De ostio Rheni obturato, vbi primum nostram Batauiam ingrediebatur. De Arce Britonum in Catwico excisa. deq; eiusdem teloneo in Leidas translato cum omnibus emolumētis & iuribus ad vsum principum Catthorum.

CAPVT V.

INNVMERA possemus super his adferre testimonia, quæ nostram nobis iure Batauiam restituunt. Sed quoniam hæc satis è re nostra, & beneuolis credimus sufficere;
ad vi-

ad viciniora nostræ ætati tempora descendere properamus; & Rheni nostri alluionem haud temerè obturatam recitare. Meatum itaque fluminis Rheni qui ab oppido Rheino propter Dorestadum à tergo nostram Bataviam vsq. in Oceanum perpetuo decursu alluebat, hoc modo obstructum esse haud semel ex vetustissimis Traiectinorum Chronicis legimus. Tempore enim Hungeri (qui vndecimus à Willibrordo præsidebat Episcopus) cum Dani, iuxta sancti Frederici prophetiam, Traiectum, totamq. Hollandiam hostiliter deuastassent, visæ sunt in cælo stellæ inter se concurrere, fulgura Iouisque telacrius stridere; flumina supra modum augeri & excrescere. quod utique non tantum ad præsens damna inferre, verumetiam & aliqua significare futura Isidorus testatur. quid multis? tanta Circio diusculè flante facta est ex Cathwico versus Leidas maris inundantia, ut ad Traiecti mœnia pisces marini caperentur. Sursum quoque Rhenus tum grandi pridem niue peractus, veterem secum Jordanis adducens tragœdiam, conuersus est retrorsum. Qui, dum (concertantibus inuicem aquis ventorum violentia) in mare descensum non haberet, omnem, properè egressus ripas, inuadit continentem.

MOX

mox pecora inuoluens & homines, tristem
 ubique sui excursus relinquebat imaginem:
 ita vt etiam ipsa Sicambrorum Batua Deu-
 calionis seculum lugeret innouatum. Tum
 arbores syluæque propter marini gurgitis sal-
 fedinem arefactæ, tandem effractis viribus,
 ventorum turbine sunt disiectæ. Quas, ad
 hanc quoque diem vidimus apud Veteres
 Dubewa-
 ter. aquas, alibi que è terræ visceribus erui, & cu-
 neis inscissas, farciendis domorum tectis re-
 gulatim coaptari. Hoc igitur malo afflictis,
 & animo consternati omnes qui circumcir-
 ca morabantur, Batuani scilicet & Traiecti-
 ni; Batavi quoque & Hollandi, sibi posteris-
 que suis de maiore periculo prouisuri, deli-
 berato diu censuere decreto, vt ab vrbe Do-
 restado ab vtraq. ripa, modici amnis à Rhe-
 no deorsum Viennam versus stillantis (Le-
 cam dicunt) aggeres construerent, & in eos
 effossis ruderibus manufacto meatu, Rheni
 fluenta deflecterent. Quod & vnanimi stu-
 dio, ardenti que opera, & plurimis denique
 impensis pro communi vtilitate elaboratum
 est, & efficaciter absolutum. Qua ex re quo-
 niam & ascendentibus è pelago nautis, &
 rursus è Rheno descendentibus in mare,
 commodior via, & quidem compendiosio-
 re tractu adoleuit. paulatim prior ille mea-
 tus

Viannem.

tus Rheni tum pridem interceptus & ob-
structus, adeò cum tempore euanuit, vt ibi
iam boues pasci videas, vbi olim maximè
inter Dorestadum & Traiectum videre li-
cuit natate carinas. Ita Rhenus & nomen
apud nos & flumen amisit. Quanquam
desuper Woirdenum, arcemque Godefri-
di præfulis, tenui aluco, deinde paulo effu-
fiore Leidas subintrans, iam prope Rynf-
burgum, haud procul à regali sacrarum Vir-
ginum abbatia, facit stationem, quod du-
dum supernè obstructo eius antiquo meatu,
scopuli etiam in Catwyco, vbi pelago influe-
bat, redintegrati sunt. Et ne hoc quidem so-
lùm à nostra sublatum est memoria, verum
etiam Pharus illa & turris speculatoria, quam
in littore Oceani prope Catwycum olim
Caius Caligula Rom. Imperator posuerat,
vt per noctem, facibus incensis, nauigantibus
inferuiret; ita prorsus euanuit, vt ne illam
quidem olim ibidem stetisse, iam creda-
mus. Et quid est in vniuerso orbe quod non
obliteret vetustas, aut temporis morbo in-
tereat, si non literis commendetur? Verùm
longè alia huius Phari destruendæ visa est ra-
tio, atque adeò sine omni vtilis detrimento
& honesta, vt ne possessori quidem doleat
eam amisisse. Nam, vt paulò altius repe-
tam;

tam;

*Iulius Pau-
lus, & Cl.
Ciuilis fra-
tres.*

tam; hanc arcem à Romanis Imperatoribus post C. Caligulam & Claudium, Iulius Paulus & Claudius Ciuilis fratres possidendam acceperant; quòd hi patre quidem Batauo, sed matre Romana essent progeniti; maiorum suorum more bicornis lunæ signum in armis deferentes. Hi igitur horumque posterii, ex hac arce Britonum appellata (quòd ab ea facillimus in Britanniam ex opposito esset transitus) piraticam exercentes, vectigalia ab omnibus Rhenum intrantibus & exeuntibus accipiebant. Sed ne ista quidem sufficiens fuit arcis diruendæ causa & occasio; quoniam non suis sed duntaxat alienis hæc grauamina imponentes, patriam fortiter præclarisque facinoribus defendebant: ita ut tam apud Danos, omnesque maritimas nationes haud ignauiter celebres haberentur. Si quid enim apud finitimos super negotiis pelagi natum esset quæstionis, aut quoties in commune consulto opus erat, ad istos qui tum arci præsidebant, legati mittebantur, contempto Batauiæ omnisque minoris Frisæ domino & comite. Quod, moleste satis ac ingrato animo ferens Comes, quia nullius apud exteros precij haberetur; Dominum Wassenarium, Catthorumque principem, qui tunc arcem regebat, accersiri ad

firi ad se iubet; sortemque suam apud illum deplorans, petit iuri suo & arci lubens ei cedat, & in Burchgrauium Leidensem præfectumque cum solitis Rheni vectigalibus eum constituit: traditque castrum quod ibidem bicorni gurgite Rhenus circunluit, opus quidem rude & sphaericum, sed munitissimum, si defensorem habeat. Tanta insuper est porrectum ad caelos altitudine, ut omnibus ciuium tectis facile superemineat; habensque subinde, quaqua versum velis, prospectus aptissimos. Intra huius ambitum puteus est mira profunditate; raram tamen continens aquam, sed dulcem & limpidissimam. de quo inaudita & incredibilia fabulantur. In planitie verò & circuitu (quo ad vtrunque Rheni brachiolum apertus est transitus) fructiferis consitum est arboribus & vinetis, ut alteram non desideres paradisum. Hanc modo arcem dominus meus & amicorum sincerissimus Petrus Brunus canonicorum Sancti Pancratij decanus, vir singulari eruditione & doctrina, legumque & canonum longè peritissimus, ad suas suorumque delicias sub annua excolit pensione. Hæc igitur, ut dicere cœperam, castrorum commutatio, & nostri Comitæ prouida cōcessio ad hunc usque diem iure hæreditario heroibus Wassenariis

*Castrum
Leidense.*

*Petrus
Brunus.*

fenariis perseverat, & perpetui omnium quæ per Rhenum importantur portitores sunt instituti. Tanti suam Comes patriam habuit, ut & aliis omnibus posthabitis eius gloriæ consuluerit, & vasallo suo nihil emolumenti ademerit. Porro obfirmatis sigillo pactis, Castrum illud apud Catthos, arcem Britonum dicunt, quod ab ea directus in Britanniam erat transitus, mox dirui Comes iussit, & pristinam apud exteros nostra suscepit Batavia dignitatem, notitiam, & honorem.

Veterum verbis, auctoritatibus & dictis facta & opera subiunguntur. ut qui verbis nolint credere, vel operibus ipsis credant, quibus Romani irrefragabiliter attestantur, Bataviam quam maximè Hollandorum esse.

CAPUT VI.

OPERÆ PRECIUM nunc esse arbitror, Reineric virorum omnium candidissime, his veterum auctorum testimoniis & verbis, opera ipsa & facta coniungere, & Romanorum monumenta in medium adducere, quibus nostram, atque adeò nostram illustrarunt Bataviam; ut alteram nemo qui vel hominem agit cupiat investigare.

gare. Quibus nimirum hac ipsa luce clarius poterit cunctis irrefragabiliter elucescere, Batauiam ipsam non Sicambrorum, sed quàm maximè Hollandorum esse prouinciam. Videre enim mihi videor, nonnullos ea comparatos esse natura, vt ipsis etiam Iudæis reperiantur duriores, qui absque prodigiis & signis non coluere Deum. Accipiant itaque hi signa euidentissima, & in rem nostram atque sententiam venientia, quæ hodiè extant, & cernuntur, quæ quotidie compaginantur, & leguntur; vt si non Historicorum verbis, certè ipsis fidem adhibeant factis, & lapidibus insculptis, per quos ipsi Romanorum Cæsares nos credere compellunt, partium Hollandiæ Batauiam esse. Anno igitur salutis nostræ supra millesimum quingentesimo secundo inuenta sunt obiter aratro humum proscindente, prope Leidam ad iactum sagittæ ab ipso Rheno, vetustissima Romanorum monumenta, grandibus insculpta saxis, cum circumferentia ad quadrum & fundamentis magni palatij. Cuius sanè muri senos in latitudine, ducentos in longitudine pedes habebant; & in singulis eius quadraturæ angulis, singulas opere sphærico miræ amplitudinis turres. Inter cetera, vt breuiter curram, huius Romanorum

C

manorum

34 CORNELII AVRELI
manorum arcis ruinosa, & plurimas forsitan
fide maiores reliquias (si oculi fallerentur)
duo præcipui & grandes inuenti sunt lapi-
des, qui Romanis inscripti characteribus hoc
continebant :

Scriptura sculpta in primo lapide.

SEVERVS. PIVS. PERTINAX. AVG.
IMP. TRIB. POT. VIII. IMP.

Hoc est, Seuerus, Pius, Pertinax Augustus
Imperator, Tribunitia potestate, octauum
Imperator.

Alia scriptura.

AVG. PIVS. PONT. MAX.
P. L. SEPTIM. SEVER.
COH. XV. VOL. P. P.

Hoc est, Augustus Pius Pontifex Maxi-
mus Publius Lucius Septimius Seuerus Co-
hortis quintadecimæ Volufianæ, aut Vol-
fcorum.

Sculptura & scriptura secundi lapidis.

IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS SEVERVS
AVG. ET M. AVRELIVS. ANTONINVS. CÆS.
COH. XV. VOL. ARMAMENTARIVM.
VETVSTATE. CONLAPSVM. RESTITVE-
RVNT. SVB. VAL. PVDENTE. LEG.
AVG. PR. PR. CVRAN. CÆCIL. BATONTE.
PRÆ.

Hoc

Hoc est, Imperator Cæsar Lucius Septimius Seuerus Augustus, & Marcus Aurelius Antoninus Cæsar, cohortis quintædecimæ Volscorum, vel Volufianæ, Armentarium vetustate conlapsum restituerunt. sub Valerio Pudente Legato Augustali, Præfecto prætorio, curante Cæcilio Batonte præfecto.

Mirum itaque si non miremur tantam Romanorum erga Barauos societatem, gratiam & amorem; apud quos non obstantibus tot terrarum spaciis, tanto suum armentarium labore opera & impensis instaurant, curante Cæcilio Batonte Batauorum præfecto. Quæ quidem reparatio, si diligenter rem & tempus inspicere volumus, facta est sub Romano Pontifice Calisto primo. qui omnibus Deo sacratis clericis & sacerdotibus continentiam indixit, circa annum Domini ducentessimū vicesimū primum. Primam tamen eius foundationem nusquam adhuc legimus, neque supremam eius deuastationem; qua profectò ita sub terris obrutum est, vt nemini nostrū antea constiterit quicquam ibi latuisse; vbi nunc tandem hæc eius arcis celeberrima Romanorum inueniuntur monimenta.

Sculptura & scriptura eiusdem lapidis in hac pagina. nam habet quatuor pedes in altitudine, & senos in latitudine, positus ad introitum anterioris portae. Vidimus, compegimus & legimus:

S. NERVAE. TRAIAN. CÆS. GER.
DACICO. TRIB. P. PP. CONS. V.
LVCENSIVM. PRÆF. TRAIANO
TRIB. PO. LVCENSIVM.

ANNOT. Hæc inscriptio parum proba est, videturque omnino ex diuersis inscriptionibus conflata. Sed quum author se eam vidisse & compegisse testetur, intactam relinquere, quàm mutare, malui.

At forsitan ad hæc inferet Batuanus noster, & dicet: Quid sibi hæc omnia, ô Aureli, ad tuam Hollandorumque Batauiam? An verò quoniam in hac inscriptione legis *Curante Cecilio Batonte*, ad Batauos continuò referes? Minimè inquam. Absit absit hoc à me; nec quisquam credat velim tam hebeti me esse ingenio, tamque scrupulosum ut iis me cauillis occupem. Non enim in angiportu ambulamus; prætorias & consulares ingredimur plateas, arcesque Romanas. Respice igitur & legito quæ sequuntur, & quidem maximis in hanc formam scripta characteribus.

GENS

G E N S
B A T A V O R V M,
A M I C I E T F R A T R E S
R O M A N I I M P E R I I.

Hæc facilè inscriptio ibi quàm maximè declarat esse Bataviam vbi olim stetit & nunc tandem nostra ætate reperta est. Credo igitur te quisquis es, tantis testibus & tantis rerum monumentis ita obrutum, confutatumque esse ipsa etiam veritate, vt nihil posthac repugnare, nihil vltra quærere meritò debeas.

Epigramma tumultuarium & extemporale in eundem.

Hiscere nū contra perges? Non, cedere fas est.

Credere & his veteres quæ posuere patres.

Si tibi profuerint quæ scribimus, ito, valeq̃:

Sin minus, est mecum pugna gerenda. caue.

Sauiet Aurelius, grandemq̃ ardescet in iram vel exurgat

Carmine, bile, stilo, Thespiadumq̃ manu.

Inuocat auxilium omnium literatorum.

Arma huc ò Muse, vos huc Heliconides arma

Conserite; inq̃ spatæ perfidus hostis eat.

C 3

Ferte

*Ferte arma Aonides, si non resipiscere curas,
Pellite eum è castris, fiat asellus iners.*

Batauusad Batuanum.

*Horum acies ponenda tibi: iam iamq; videbis
Me cataphractatum, qui pedes antè fui.
Aut cede, et nostris tandè coniungere castris,
Aut metue, & fugito. Nam tibi tela paro.*

*Inuenta demum citra omnem controuersiam
Batauia: quanto eam habitatores amore co-
luerint, quantaque illustrarint virtute,
nunc pariter audiamus.*

CAPVT VI.

CORNELIVS quem Tacitum cogno-
minant, habito iam sine omni hæsitati-
one Batauiæ loco, de loci eiusdem incolis,
sua quidem sententia, sed nostris nobis lo-
quatur verbis. Qua videlicet in hostes vir-
tute, qua in amicos fide & gratia, quo deni-
que in patriam amore fuerint, quàm paucif-
simis repetemus. Nam mores & vitæ eo-
rum instituta proprium sibi codicem postu-
lant & morantur. Arcem igitur illam (cu-
ius iam iamque monimenta, & vt verius di-
cam, reliquias & fragmenta ostendimus)
Vitellius inferioris Germaniæ sub Nerone
princeps

princeps gubernans, communiter & pacifice cum Batavis agebat. Claudium Ciuilem gentis primorem charum habebat ex animo; eratque viro comiter inclinatus. Præterea omnibus ciuilitè præesse, cum æqualibus cursu certare, iaculari, obequitare, venari, cunctisque gratus esse. Cuius rei gratia, suorumque precibus, Ciuilis vir sanè quàm regia stirpe, nostrasque prouocatus, filio Romani principis filiam suam dedit vxorem. ea demum ratione, vt communibus populi sui rebus ingenuè consuleretur, & pacem cum Romanis perennem haberet. Hoc Latini fœdere non parum erecti, cœperunt in terra non sua nequiter agere; genium vino, iocisque curare, colonos opprimere, incautis insidiari, aliena rapere & calumniari. Deinde, quæ sua illis natura est, studere avaritiæ, luxuque omnia fœdere; impuberes forma conspicuos, & quæ plerisque nostratum est, procera pueritia, in naturæ dedecus ad stuprum trahere, & ingenuam iuuentutem ad delectum vocitare. His citissimè Claudius cognitis, suorumque fortunæ miserens, & ab infandi sceleris haud minimè abhorrens turpitudine, primores gentis suæ, & promptissimos quosque vulgi, quasi specie epularum, Sacrum in nemus vocitabat.

Vbi cum eos mero & lætitia incaluisse videt, à gloria laudeque patria orsus; iniurias, raptus, & cetera seruitij mala enumerat: neque sese iam à Romanis socios, vt olim, sed tanquam vilia haberi mancipia. Insuper instare propediem delectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus, mariti ab vxoribus veluti supremum diuidantur. Emori præstare per virtutem, quam hanc miseram vitam atque inhonestam, vbi alienæ superbix ludibrio sumus, diutius sustinere. Magno cum assensu auditus Ciuilis, vniuersos sibi adigit. Missi ad proximos Caninesates sunt qui consilia sociarent; statimque accitis Frisii qui mox nauigiis ad arcem Britonum appulerant, repente Ciuilis arma rapit; idemque ceteri facere. Quid multis? Incautum Vitellij filium (nam ille, tum agebat Maguntix) nec de comœtu satis prouisum, vt qui amicitix gratia nihil tale suspicaretur, in castro (Arcem dicunt Romanorum) prope Leidas inopinata premunt obsidione, & hostiliter circumuallant. Eiecto post alterum diem ab arce, præses nocte concubia nuncio patri Ciuilis temeritatẽ scribit; quæ neque staret conuentis, neque geniali thoro quicquam deferret; oratumque mittit, vt si sibi suæque posteritati bene consultum esse cupiat

cupiat, sine mora descenderet liberare filium suum strictissime obsessum. Nuntius in itinere Traiectum versus à Barauis interceptus, ad Claudium reducitur; literas rogatur, & offert, omneque negotium coram profitetur. Tum Ciuilis ad præsidis rebellionem ita refert, dicens: Ecce literas domini tui integras tibi reddimus; Vade ocyus, ne steteris. extremum enim Vitellij periculum simulque nostrum nunc agitur. Interea auspiciandum nobis est, vt qui plurimum debemus virtuti; quid etiam fortunæ si ad sit, debeamus innotescat; quam nemo vnquam mortaliū diu in potestate habuit. Hæc & alia huiuscemodi vbi Claudius dixerat, post præsidis nuntium, & ipse versus Vbios & Rheni accolas mittit; orans vt saltem Vitellij iter & descensum suo equitatu retardent, & transitu coërceant. Nam tum Coloniensibus etiam hostis erat. Se interim suo periculo in commune libertati consulturum, ipsum se huius præclari facinoris caput & principem gerere; neque militarem sine duce turbam aliud quicquam esse quam corpus sine spiritu. Quare sibi in præmissis capta oportunitate consulere; deinde amicis in necessitate non deessent. Vnam omnium esse sententiam, Romanos omnes

è Germania propellere; libertatem natura omnibus etiam mutis animantibus datam; virtutem verò proprium hominis bonum; deosque fortioribus semper adesse.

Audita est huiusmodi Ciuilis oratio ab Agrippinensibus cum omnium silentio & assensu; transitumque Vitellianis non permisere. Interea præfectus arcis Romanæ (quam tum Claudius noster cum suis occupauerat) spe venturi patris destitutus, ac interim annonæ attritus inopia, se suamque supellectilem pacto redimens, arcem Ciuili aperuit; sicque nostris nullo sanguine & vulneribus victoria stetit. Deinde confestim duarum cohortium hiberna proximè Oceanum irrumpunt, nomenque Romanum quaquà versum ab insula sua propellunt.

» Nullum etenim mare tantos concitat fluctus, quantos multitudo libertate luxurians

» habet motus. Hæc vbi Romæ audiuntur, lugere omnes, Vitellij iniuria & libidine Batauos fratres & amicos Imperij à se tandem descivisse. Quare mox illum iussu Vespasiani accitum, Tiberinis immerfere vorticibus; quòd suæ studens auaritiæ, fidissimos Imperij socios, sua etiam petulantia Imperio abrupisset. Ecce tanto Claudius Ciuilis pro patria succensus est amore, vt se

vltro

vltro cum suis Batauis, eatenus periculo exposuerit, quatenus detestabile crimen vl-ciscens, de medio suorum tolleret. tametsi omnes sui tributorum expertes erant, viros tantum & arma Imperio ministrantes.

*Quæ Bataui Imperio beneficia præstitere,
& quæ illis vicissim Imperium præstitit.*

CAPVT VIII.

GAUDE nunc igitur in sinu ô felix Batauia, quæ tales produxisti viros quibus Romanum haud minimè sustentabatur Imperium; & qui rursus in multis decorati sunt ab Imperio. Tanti enim ab Impp. prisca ætatis habiti sunt, vt sine illis nullum extra urbem armigeri Martis subire tentaerint periculum. Hi sunt quippe Bataui, qui ablatam Neroni Italiam restituere. hi sunt qui Vespasiano diu deliberanti, amicitiæ gratia Imperium adegere. Hi sunt denique Bataui, qui Heduos iuxta Ararim fluum & Auernos populum Aquitaniæ instructissimo equite protriuere. cum quibus olim ne ipse quidem Iulius congregari audebat; quod aquis vndique sepirentur, & innumera gauderent populi multitudine. Frequenter enim in Cæsarem circiter ducenta millia pugnantorum

torum

torum eduxerunt. At Bataui milites imperterriti & equites, præcipuo natandi studio edocti, arma equosque retinentes, integris turmis nouerant flumina perumpere, & ab insperato hostibus imminere. Per hos præterea C. Caligula & Claudius Imp. Britanniam tributariam effecerunt. Per hos Galba, Ottho & Vitellius sacri Imperij incubatores profligati & repulsi. Per hos denique Lingones in prouincia Lugdunensi, quos Vitellij motus turbauerat, in Imperatorum officio sunt retenti. Tam enim formidabile cunctis Batauorum erat nomen, ut grande viderentur momentum sociis, aut (prout inclinassent) aduersis; quod & Martialis poëta, & Domitiani culinarius testatur his verbis, dicens:

*Sum figuli lusus, rursi persona Bataui,
Quæ tu derides, hæc timet ora * Pater.*

* Domitianus.

Hæc Bataui, ut quàm paucissimis plurima præteream, Imperio præstiterunt. Nec mentiar, si dicere velim, & congruis testibus asseuerare, nunquam per orbem, tantum terrarum sub Regibus ipsis vsque ad Tarquinij Superbi expulsionem Romano adactum esse Imperio, quantum illi, victricibus armis, Batauo adiecere. Neque enim omnes ille veterum cruentæ victoriæ, & tantis
emptæ

emptæ calamitatibus, per ducentos ferme
& quadraginta quatuor annos, tantum dila-
tare potuerunt Imperium, quantum illud
suo tempore Bataui extendere. Sed dices;
Quid rogo pro his omnibus præstitit Bata-
uis Imperium? Plurimum, inquit, per om-
nem modum. Inprimis tanto eos Romani
honore & gloria, amore & beneuolentia
(quibus neque melius neque amplius in na-
tura mortalium est) & quidem quàm offi-
ciosissimè prosequuti sunt; vt illos nullo mo-
do à se diuelli permiserint. Cum enim Fa-
bius Valens præfectus Augustalis Batauos
ab exercitu Romanorum diuidere destinaf-
set; quòd paulò iactantius garrirent, omnem
belli fortunam in ipsorum manibus sitam;
quodque simul ex petulantia (vt plerunque
fit) perfidiam suspectabat: mox in cœrere fo-
cij Romani, fremere Legiones, orbari se
fortissimorum virorum auxilio. Veteres il-
los tot bellorum victores, diuque exercitos,
postquam in conspectu sit hostis, veluti ex
acie abduci; clamitantes Batauos Imperij fa-
nitatem, sustentaculum, robur & columen.
neque idèò abrumpendos, vt corpori vali-
dissimos artus. Ceterum tanta Romani
Batauos fide & gratia donauerunt, vt suum
inter eos erexerint armamentarium; in re-
bellium

bellium terrorem; & post plurima annorum
 curricula, illud vetustate conlapsum ad per-
 petuam mutui amoris memoriam instaurationem
 uerint. Quid de præfidiis dicam, quæ in lit-
 tore maris, ad tuendam sibi Batauiam ab in-
 cursu Barbarorum, olim posuerunt? Quid
 referam de aggeribus & collibus, quos tum
 in nostræ regionis fronte, cōtra maris æstum;
 tum in tergo aduersus Rheni excursum plu-
 rimis laboribus & impensis construxerunt?
 Quid denique loquar de Latinarum Schola
 literarum, quam ibidem ad Rhenum haud
 procul à castro (quod arcem dicimus Ro-
 manorum) aperuerunt? Videntes enim Ba-
 tauinam iuuentutem procera pueritia, acri-
 que ingenio, si studium non deesset: lin-
 guam eorum suapte natura exsertam, voca-
 lem, expeditam, & ad omniaabilem idio-
 mata, & cui extremæ non excidunt tenuiter
 syllabæ; nec vox faucibus auditur, sed plano
 resonat pectore; sermoque profertur expref-
 sior: non potuere committere quin Roma-
 no eos instruerent eloquio, quorum indu-
 striam & linguam, suâ tum eruditam, sibi
 adhuc vsui fore sperabant. Nam quoniam
 Batauia portuosa est, & mare ei apertum,
 quo ad omnes facillimâ nauigatione perue-
 nias nationes: credebant Romani; in nullo
 sibi

Schola.

sibi vtilius consultum iri, quàm vt Batauorum pueros bonas artes omnemque ciuilitatem edocerent; vt vtriusque linguæ suffragio faciliùs ad subiugandas ignotæ sibi linguæ nationes perrumperent; & Batauos eorundem iuuenum parentes, ea specie in officio acriùs retinerent, quorum filiis tantam impendere curam videbantur. Tota namque Romanorum spes & fiducia totius Germaniæ in fide conseruandæ, à solis tum visa est Batauis propendere; qui iam diu Germanorum bellis erant exerciti. ne si illi forsitan ab Imperio desciscerent; reliquæ Teutonum, imò & Galliarum nationes mox sequerentur. Nec multum abfuit, si non frequenter cum illis Romani principes dissimulassent. Propterea enim, & quidem quàm maximè Iulius Ciuilis præpotens inter Batauos periculo exemptus est; vt non cum Pompeio Belgicæ procuratore, & Iulio Burduno Germanicæ classis præfecto, morte abriperetur. Causam rogas? Ne eius supplicio, (inquit Tacitus) gens ferox Batauorum à Romanis alienaretur. Tam formidata Romanis Batauorum virtus, tamque accepta fuit eorum fides & constantia.

Haëtenus ex reconditissimis Veterum archiuis, verè de vera Batauorum regione,
 potentia,

potentia, societate & gratia cum Imperio, satis dixerimus. Reliquum est, ut nunc de nostræ insularis Bataviæ felicitate, quæ inter duo Rheni brachia sita est, perpauca dicamus. Hæc gemina Rheni ostia Plinius Helinum vocat & Fleuum. Illud prope Walachriam, extremam Rheni & Salandiæ insulam, Oceanum petit. Istud verò circa Herlingum celebrem Frisiorum portum, & proximè Scellingiam in mare præcipitatur.

De insularis Batavia felicitate, cultu, delitiis & commerciis, vide finem libri secundi. in quem locum Aloysij Marliani elegantissima ea de re Epistola consultò reiecta est.

CORNE-

CORNELII AVRELII
DE SITV ET LAVDIBVS
BATAVIÆ
LIBER SECVNDVS.

*Reynerio Snoyo Geduano, viro doctissimo
& Medicinæ professori,*

CORN. AVRELIVS S.

PRTATISSIMA nobis est,
mi Reineri, virorum om-
nium candidissime, tuæ fla-
grantissimæ voluntatis insti-
tutio; qua pridem animo de-
stinasti, mutua Epistolarum vicissitudine,
quòd corpore separamur, in literario me-
cum stadio velitari. Conditionem fateor
pro mea virili, & quidem amicè fideliter-
que admitto. At caue tu interea, amico-
rum sincerissime, ne contra te Carneadem
prouocasse doleas; dum (quod forsitan
quàm fieri poterit breuissimè) tuarum quæ-
stionum nodos cupis dissolui; multo ille
ocyter longiore quàm æquum est oratione,
ex ea quam ei facilè tribuis dicendi copia
tuas aures defatiget. Nec te Daretis qui-
dem

dem ac Entelli oblitum esse velim ; barba-
tiq̄ue Hieronymi dicentis : Bos lassus forti-
ter figit pedem. Caue itaque tibi ne dum
pressius aliquando humi vestigia fixerim,
tuas dolenter obtriuero plantas. Verùm hæc
interim more nostro familiariter iocati su-
mus. Tuæ enim charitati morem gerere,
quoad eius per me fieri potest, gratissimum
habeo. Veruntamen in his quæ flagitas non
me agogum & ducem ; sed socium & co-
mitem lubens offero, polliceor & spondeo.
Cùm igitur intelligam te magis ex aliorum
ingenio, quàm proprio (vt qui in tuis cla-
boratissimis Batauorum Comitum & Pon-
tificum historiis ne in minimo quidem à
me dissentias) hæc ipsa dubitando propo-
nere : haud molestum nobis fuerit, quan-
tumlibet dabitur otij (nam diurni cogimur
ex religione laboris pensum reddere) suc-
cisiua tempora tibi & amicis impartiri. Igi-
tur, quoniam, teste Philosopho, dubitare in
singulis non erit inutile ; & nunquam sine
disceptatione res dubias credimus elucesce-
re ; ad indagandæ veritatis prælia tecum ac-
cingimur. quam nimirum, si quid Aristoteli
deferimus, sine disputatione quæren-
tes, haud immeritò comparabimus viris
viam qua eant ignorantibus. Accedit & his
verus

verus fidelisq̄ue testis Hieronymus, ita contra Pelagianos scribens; Socraticorum schola, inquit, consueuerat omnia adducere quæ dici possent ex vtraque parte; vt magis perspicua fieret veritas. Sed & Sacri nobis Canones in his non minimè suffragantur; vbi legimus: Veritas sæpius exagitata magis splendescit in lucem. Sicut enim in aquæ cyatho si guttam olei coniectam multum exagites, plurimos generat oculos: ita etiam variis quælibet res discussa altercationibus; oculatiorem ipsam efficit veritatem. Quapropter Scholasticis permittitur quandoque ad ardentissimam vsque bilem disputando contendere; vt vel ita rei veritas clarius elucescat. Sed iam in campum expedienda est acies. En acinace accingimur, septi armis, galeaque obtecti, hastam in agrum coniecimus. Contortis vibranda est oratio iaculis. vt quacunque nudus fuerit hostis, feriatur. Igitur vt iam tandem stadium ingrediar, nihil ambiguitatis de Batavia nostra tibi relictum esse, sed omnifariam te nostris astipulari sententiis scribis. Porro de Betua seu Batua, quam tu auctore Tacito Bethasiam credis; nonnihil à me dissentire videris. Amo in te, vt verum fatear, hanc incredibilem atque adeò accuratam

historicæ veritatis indaginem, & cumulatissimis vsquequaque eam extollere contendendo præconiis; qua profecto non tuos modò labores, verumetiam mea studia ab omnibus doctis & quidem beneuolis commendatum iri procuras. Hæc est nimirum veritas quam tota Philosophorum academia quærit; quam præclara Theologorum schola inuenit; quam denique sancta religio plenariè, atque adeò vna possidet. Morem itaque geram tuo, mi Reyneri, desiderio; modò tu vicissim memineris duplicato me fœnore remunerandum. Sed quò id facilius possis, imò vt voluptuosius, & quidem sine labore atque dispendio velis; nulla re alia opuserit, quàm vt immortale historiarum tuarum opus in lucem edas, & nostræ paruitatis opuscula, quæ tenui confecta sunt Minerua, sed tuo amori ingenuè dicata, sine fastidio lectites; & in mutua charitatis argumentum sine fine lecturias. Itaque vt ad rem nobis propositam demum pertingamus; breuiter dicimus; Neminem Latinorum qui Germaniæ describunt historias, de Betua, aut (si qui malint) Batua fecisse mentionem. Quapropter quæ olim de hac regione legimus, fideliter in medium proferemus. Cùm igitur antè duo lustra
gemi-

geminasque messes Parrifios reformationis gratia peteremus, Parlamentæ acciti auctoritate, & patrum præcepto emissi; intrauimus tandem obiter haud ignobile in Hannonia cœnobium monachorum. vbi mox ceteris comitum meorum sese reficientibus, solus bibliothecam loci ab armario admissus conscendens; inueni librum quendam pulueribus obsitum, & antiquissimo perscriptum caractere, qui omnes Germaniæ Belgarumque historias continebat. In hoc quæ nunc de Betua, deque Bethasia, & nostra denique Batauia scripturus sum legi & collegi. Nam ibidem ferè bi-duo propter aëris inclementiam hospitati sumus. At de Betua primùm quid hîc legerim tibi literis mandare curabo. Igitur Agrippinensium Vbiorumque ecclesia, suo ineuitabili fato priuata pastore; cùm iam circumquaque Arriana pestis immineret, prouisum est Synodali Episcoporum Galliæ & Germaniæ concilio (cui tum maximè Martinus Turonensis præsidebat) vt Seuerinum, seuerum hæreticorum in Aquitania oppugnatorem eidem præficerent. Qui patrum decreta humiliter suscipiens, relicta protinus Burdegala Coloniam petit, vt munus sibi ab Episcopis iniunctum sagaciter

exequatur. Hunc non ita longo pòst tempore, suorum quidam ex Aquitanica regione proceres sunt consequuti. Quibus ut apud se commanendi locum prouideret; orat Seuerinus Brabonem Caroli septimi filium, Pepiniq̄ue primi Brabantia Ducis auum, qui tum Gelriae & Hasbaniae praesidebat, ut suis cognatis sedem alicubi ordineret. Qui, praesulis charitate deuictus, & gratia; insulam Rheni in Gelria eis concessit, & ipse in Landeno sibi mansionem statuit. Hi itaque proceres cum terram sibi à Brabone concessam viderent esse campestram & planam, facileque meabilem, Betuam ex situ loci vocitarunt. Betere enim veteres, bene & sine molestia ire interpretantur. quemadmodum etiam vbi in regionibus intra Alpes & monticulos, terra occurrit plana & campestris, eam continuo Campaniam appellamus. Ita in diuinis reperitur scripturis, cum Martyrum memoria recensentur, Campania Galliae, vbi Rhemorum ciuitas est, quae Francorum reges sacro initiat chrismate; & Campania Italiae quae nunc Terralaboris dicitur: quod haec quondam loca, circumiacentium comparatione, non montosa, sed aequalia & gressu facilia, pascendisque pecoribus apta esse

cogno-

Brabo.

Betua appellatio unde fluxerit.

Campania.

cognoscuntur. Quocirca multo omnium facillimè possumus colligere, nihil de Betua Romanos olim scriptores meminisse; quæ id sibi nominis tum primum accepit, cum Theodosius minor rerum potiretur. Deinde ab ea tempestate, & Werenfridi temporibus, qui Catholicæ fidei radiis eam primus illustravit, in hunc vsque diem apud nos idem perseuerat nomen. Nihil tamen hæc Sicambrorum portio quantula est, cum Bethasia, neque nostra cum Batauia commune habet. Et quoniam horum procerum (quos Sancti Seuerini cognatos memorauimus) alij supernè, alij infernè morabantur: vno sub nomine Betuam superiorem & inferiorem distinguebant. Hanc in possessionem longo post tempore tanquam hæreditaria successione Walgerus princeps, & ipse paterno genere Aquitanicus, cum Tersterbadiæ comitatu, prope Tilam commorans acceperat; priusquam frater suus iunior Theodericus, à Carolo Caluo Francorum rege, post Danorum incursionem, Batauia, nunc Hollandia, donaretur. Hæc de Betua interim mi Reyneri tibi sufficere credimus.

PORRO de Bethasia, quæ priore libro Batauiæ gloriam tuentes scripsimus,

D 4 tura

tu rarissima habeto omnia; quoniam eodem ex fonte libroque memorato ea nostris tibi verbis accuratè satis expressimus. Hæc enim Bethasia Mosanorum est regio; cuius, ut ipse nosti, meminit frequenter Tacitus. Hic milites Romani suas stationes & hyberna agebant; quòd natio illa quasi medius Germaniæ Galliæque sinus videbatur; ut eò facilius Austrasiorum & Lingonum regna, quæ nunc Lotharingos & Burgundiones complectuntur, in fide & officio retinerent. Hic præterea, ne quid Imperiali deesset industriæ & commodo, Octavianus Imperator semper Augustus in honorem patris sui, Octaviam urbem haud procul à mari condidit; propter argenti fodinas in monte Vosago, salisque fontes candidissimi. At mirum dictu, ubi tum mare propius affluebat, ibi nunc dum vorat & reuomit dira charybdis aquas, amplissimam plurimis passuum millibus continentem relinquit. vnde & nos versus Septentrionem suis vorticibus acrius inuadit: tantaque facta est ab ea ætate vsque in præsens, locorum & fluminum, morumque & hominum apud Germanos, Belgas & Batauos immutatio, ut noua prope indigeant historia. Hactenus de Bethasia. Porro de nostra Batavia satis super-

Bethasia.

*Octavia
vrbs.*

superque in priore libro commentatum esse arbitror; vbi tamen (quod maximè dictum oportuit) præterisse me recolo. Dum enim omnem atque ad eò vnam in Betha-
 uia describenda intorqueo mentem; alterum Rheni cursum, (vt vel gemina eius brachia non præmittam) quo ipse in Fleuum tendit, non descripsi. Igitur quemadmodum, priusquam Leidas ciuitatem Bata-
 uorum longè omnium ædificiis & moribus ornatissimam Rhenus ingreditur, bicornis est: ita gemino iuxta gurgite extra præfata-
 tam urbem, relicto iam rure Lopseno, prope sui nominis Burgum, vbi nunc regalis sacrarum virginum est abbatia, sese dispartit. Altero, quo per vtrosque Catthos Oceanum petit; altero, quo Caninefates Frisosque interluens, tandem propter Sancti Athelbarti regale monasterium, supraq; castrum, quod Rheni domum vetustas appellat, grandi sinu in Fleuum vsque decurrit. In vtraque Rheni huius ripa, ab eo fermè loco, quo Catthos Rhenanos deserens, versus Subsolanum in præfatum vsque tendit procursum, plurima olim visabantur castella, villæ, pagi que populosi, domus voluptariæ, quas à volucrum circumstrepentium garritu Auium concentus vocabant. hinc nemo-

Leida.

Winichem.

Woghelle-
sanct.

renses horti, deliciarumque monticuli, saltus innoxij, & omni ferarum genere offerri, fertiles agri & palustres, omnibus aucupijs, & leporum cuniculorumque venationibus aptissimi. Hic lacus piscosi, & torrentes refrigeratorij; ita ut alteram terrestrem non desideres paradisum. Hic domus illa stabat tributaria, quam Danorum rex subactis sibi Frisiis ibidem erexerat; in qua regalis quaestor censum quotannis ad iactum aerei scuti exigebat. de qua Grammaticus Saxo miranda ponit in Historia sua, quam De Gestis Danorum accuratissime edidit. Post hanc, lucus sequebatur Baccho dicatus; undique vitibus vltimoque confitus. Eius loci incolae, Bacchiades olim, nunc Herlemij vocantur. gens dura, sed aequi tenax; ubi adhuc nostra tempestate, quum noua erigendarum aedium fundamenta effodiuntur; certissime constat, ad humani penes femoris spissitudinem veterum radices vitium inueniri. His praeterea praetoria accedit domus, & principale ciuiliu[m] causarum consistorium. quod tandem Wilhelmus Romanorum rex designatus, & Comes noster, in Hagam transtulit; erecto ibidem mira magnitudine & Imperiali quodam splendore palatio; in quo de patriae causis & negotiis tracta-

Saxo Grammaticus.

Bakenesers in Haerlem.

Curia Hollandiae Harlema Hagam translata.

tractaretur; cuius laquearia & omnia tignorum ligna (mirabile visu) neque caries aut putrilago corrodere, neque aranea suis foedare telis cernitur. Huic in descensu plurimæ adiacebant arces, domusque senatoriæ; quarum vel prima fuit Baronum de Lata *Breederode.* virga; qui legitimam à primis Hollandiæ Comitibus progeniem ac stemmata ducunt; deinde dominorum de Vellefona & *Illustres familia Hollandia.* Beuereuico; militum de Hemerca vel Suthera; de Gastrico; de Limba; de Polanio; de Polenburgo, deque aliis plerisque (modò nobis sine nominibus) castellis & mœnianis; quæ iam partim vetustas, partim edax flamma consumpsit. Postremo Rhenus exinde progrediens, & prope Alcmariam *Alcmaria.* flexo cursu, Veronam versus (olim ciuitatem *Verona.* Frisiorum maximam, sed à Batauorum Comite solo potenter æquatam) ad Eurum usque grandi lacu procurrit. Tandem circa arcem domumque suo illustrem nomine, & *Binechem* vetustissimorum dominorù De Egmunda *Egmondanorum regia stirps.* monumentum (qui de ipso Rathbodo Frisonum rege trahunt originem) tutissimum aperiebat nauibus portum, quæ de mari appulsæ Batauos & Rhenanos suis cum mercibus adire cupiebant. In eum portum, primo Iustiniani Imperatoris anno, nostræque salutis

salutis DCLXXXVII; Sanctus Wilfridus Lindisfarenſis Episcopus Romam iturus, flante Fauonio appulſus eſt; qui ab Aldegilo Friſiorum rege, patre Rathbodi, & omni populo honorificè receptus; primus in Friſia Chriſtum per hyemem totam prædicauit, & complures fonte abluit ſalutari. In hunc etiam, Anno DCXC; miſſus à S. Egberto Eboracenſi Archiepiſcopo Willebrordus; regnante in Anglia Catholico rege Alfrido, & præſule Coloniae Alderoino, cum vndecim verbi Dei cooperatoribus, vt Friſiam conuerteret, appulit. Ab hoc denique portu Rhenus ampliore procurſu Herlingum pertransiens, Fleuum vſq. Sceldingam ſancti Brandarij inſulam attingit. Ecce dum aliud ab Helino Rheni brachium (quod Fleuum dicunt) quærimus; forſitan opinione longius per varia terrarum ſpatia euagati ſumus. At nunc vel tandem ad propoſitas recurrat oratio quæſtiones.

N V P E R igitur dum cœnobitæ & amico erroris præcipitium adimere cupimus; nonnullis & ipſi videmur erraſſe. Scripſimus enim (nec inficias ire volumus) noſtram ibi Batauiam incipere, non vbi Walis incipit, ſed potius vbi deſinit; aut certè vbi nomen ſuum perdit; id eſt, prope arcem quam noſtra
ſtra

stra ætas Lodeſtenum vocat, haud longè ab Lodeſteyn
oppido Goriceno. Et vt audentius aliquid,
ſed non temerè efferamus; dum veluti ſub
Dædalæo quodam typo noſtram Batauiam
deſcribere, omnemque prorsus ambiguita-
tem explodere cupimus; tandem apertiffi-
mè profeſſi ſumus, non ibi noſtram initium
ſumere Batauiam vbi Moſa (manuſacto
brachiolo aluei quo Romanis breuior è Be-
thaſia in Betuam & Nouiomagum Impe-
riale præſidium tranſitus eſſet) ipſum Wa-
lim inſluit; ſed vbi Walim Moſa excipit. At
iſta mihi planè proferenti ſubſtomachantur
forſitan viri haud vulgariter eruditi; quod
Auguſto & Cæſari auſim contrauenire. At-
qui Aurelius concertet Iulio? Ille (vt fortè
lectitant) ibi dicit Batauiam incipere, vbi à
Wali Moſa recipitur. Ego autem è regione;
ibi noſtram profiteor Batauiam habere prin-
cipium, vbi Walim Moſa excipit. Nam
(vt verum fatear) plus equidem fidei noſtris
adhibeo oculis, quàm Iulij Commentariis.
Quis enim non videat iuxta Goricum (vbi
noſtræ Batauiæ caput eſt) Walim à Moſa
excipi; ſed minimè à Wali Moſam? quod
& ipſe rerum vſus & natura nos docet.
Omnis enim fluuius ſupernè descendens,
ab eo qui infernè fluit, donec mare intrat,
rite

ritè excipitur. Quod si conuertere volueris, plurimum desipies, & naturæ genium propè læseris. Vtcunque tamen est; ego hanc scopulosam cauillationem pili faciam, modò nostram monstrauiero ibi incipere Bataviam, vbi Walis prope Goricum se Mosæ commiscet; donec simul vel in Helinum vsque, quo Rhenus brachio multas completitur insulas, perpetuo meatu decurrant. Atque vtinam rescire dignentur viri plurima lectione eruditi, ipsum in Commentariis Cæsarem, non vbique esse Cæsarem; hoc est, non vbique loqui vt Cæsarem. Plurimi enim eius Commentarij, qui olim marginibus à diuersis inscripti fuerant; nunc librariorum inscitia, aut temeritate, in textum Cæsaris coaluerunt; ita vt plurimavideamus Iulij Capitolini, aliorumque complurium commentatorum Iulio Cæsari falsissimè adscribi. Porrò in vetustissimo codice Cæsaris qui in monasterio regularium (quod olim Castrum Nantonis dicebatur) apud Puteolos & Aurelianum, qui ante mille & quinquaginta annos à Leone primo Romanorum Pontifice, cùm in minoribus ageret, scriptus perhibetur; sic equidem ipse legi; *A Mosæ Walis receptus insulam efficit Batavorum*; vbi per erroneam literarum

trans-

transpositionē modò legimus; *Mosa à Wali receptus insulã efficit Batauorum*. Hoc etiam inter receptissimos haud contemnendi testantur auctores, qui de Rheno celeberrimo Germaniæ fluuio ita scribunt; Rhenus multis, inquit, assumptis annibus, Mæno scilicet, Limago, Mosella, Mosa, aliisque, in Germanicum Oceanum duobus effunditur ostiis, pluribus factis insulis; quarum aliæ à Frisiis, aliæ à Sicambriis, aliæ à Batauis, hodie Hollandis, incoluntur. quorum omnium nobilissimam Plinius attestatur insulam Britannis oppositam. Quam nimirum Batauorum insulam, Cæsar, inquit, in Commentariis, Mosam fluuium accepta Rheni parte, quæ Walis appellatur, efficere dicit. Hæc eadem cum plerisque aliis in rem hanc atque sententiam transeuntibus priore libro attulimus. Nec facilè quouis modo ab ea deflecti valeo; quam & oculi nostri probabiliorem nobis faciunt; & castigatores Cæsaris Commentarij veriores approbant & defendunt. At de his hæcenus. Nunc ad postremam eundem est quæstionem.

SUNT etiam nonnulli quibus nostra Batauia longè videtur angustior quàm vt Romanis tanta multitudine militare potuisset; ideoque

ideoq. ei Betuam tanquam superiorem corrupto paululum nomine Batauiam adiungi oportere. Verumenimvero hæc mihi narratio visa est quasi aquilæ iuuentus, quam nemo facile comprehendit. At qui vel Thraſonis habet ſalem, hanc facile ſoluerit quæſtionem; adeò digna res eſt vbi neruos intendam meos. O me ſcitum hominem, ſi vel homines proſum ex ſtultis inſanos fecero; aut potius ita me comparem vt ſciolorum aculeos prudens perpetiar. qui, ſi veterum ſcriptores rerum oculatius inſpicere velint; inuenient proculdubio Batauos non numero ſed humero; non millibus, ſed viribus, non anulo ſed animo, non multitudine ſed virtute, non ſtrato ſchemate ſed ſtrategemate vbique gentium pro Romano certaffe imperio. Cuius rei gratia quoties militum delectus apud principes Romanos fieret, Galli que & Germani ex nomine, ſub certo citarentur ſalario; ſolis Batauis gloria & victoria ex virtute promittebatur. Hi enim duplici remunerabantur ſtipendio; & propter ſingulare, quo ceteris præſtabant, robur, ſpeciale præ aliis donatium, quantumque volebant itineris & certaminis præcium capiebant. Hos præterea C. Caligula electiſſimos ſui corporis habuit cuſtodes
& ſtatio-

& stationarios; plus fidei nostris quàm suis deferens. Cui etiam (quum in Britanniam tendere statuisset) consuluere sui, vt Batauorum ante omnia numerum, & maximè equitum instauraret. Tanta quippe Romani Batauos æstimabant fide, constantia & virtute; vt sine illis nunquam auspicari præsumperint bellum, neque vllam sperare victoriam. His enim victoribus Hierosolyma sub Vespasiano est excisa; Italia Romanis reddita, Germania in fide & officio retenta; Anglia denique (quam ne ipse quidem Iulius euincere potuit) armipotenter est Imperio subiugata. Quæ profectò omnia Bataui non populi multitudine, sed animi virtute atque altitudine, audaciq; ferocia tanquam primipilares & Reipublicæ propugnatores perpetrarunt. Verùm vbi hæc virtus & audacia (vt plerunque fieri solet) insolentiam Batauis augere cœpit: metuens Ordeonius Romani ductor exercitus ex iactantia seditionem inter legionarios cohortesque posse suboriri; aut certè iam iamque apud Augustam Taurinorum exortam volens reprimere; decreuit Batauos, quos tum belli fortuna petulantiores effecerat, in Britanniam, vnde à Nerone exciti erant, ocys remitti. At ille mox pœnitentia ductus, &

E dissua-

dissuadentibus iis qui paulò antè suaserant;
 quòd interim viderent Batauorum cohortes
 vnà tendere ob veterem aduersus quarta-
 decimanos discordiam; inferioremque
 Germaniam (vt Ciuili iungerentur) expe-
 tere: scripsit Herennio Gallo legionis primæ
 legato, qui tum Bonnam obtinebat, vt Ba-
 tauos transitu arceret; sese cum exercitu se-
 quuturum, tergisq; eorum acriter hæsurum.
 Bataui igitur dum castris Bonnensibus pro-
 pinquarent, præmisere qui Hereanio Gallo
 mandata cohortium exponerent: nullum
 sibi bellum aduersus Romanos esse, pro qui-
 bus toties bellassent. Longa duntaxat at-
 que irrita militia fessis, patriæ & otij cupidi-
 nem esse. Si nemo obsisteret, innoxium fo-
 re iter. Sin minus, ferro viam se facturos. At
 principium interno simul externoque bello
 parantibus fatis, Herennius superbia elatus,
 eis cum suis armatus hostiliter congregi pa-
 rat. Interea Bataui ordinata acie in vnum
 veluti apes globum confluentes, hostem
 constanter excipere, admissis equis haud se-
 gneriter concurrere, & collatis signis Bonnen-
 sium aciem conturbare, constringere, per-
 sequi, profligare, occidere, magnamque
 stragem facere: ita vt etiam fossata Bonnæ
 corporibus mortuorum opplerentur; qui
 metu

metu persequentium Batauorum se sponte immerferant, quòd portis recipi prae multitudine non potuere. Tantam tamque memorabilem multorum millium stragem, quos Herennius Gallus eduxerat, tribus circiter millibus Bataui confecerunt. Hæc dicimus, ut omnibus scrupulosè innotescat, nostrates non millium pluralitate, sed militum alacritate, industria & virtute congregari solere. Quapropter nemo omnium Betuam quasi infractò nomine Batauiam superiorem, nostræ pergat addere Batauiæ; ut vel exinde maiore gaudeat numero pugnatorum; quæ nunquam Betuanos, sed longè viciniore sibi Caninefates & Frisios, suæ frequenter addiscere solebat militiæ. quorum dux Brenno vir magnæ audaciæ, & claritate natalium conspicua, Ciuili se iungens, olim Romanorum castra diripuit, lixasque eorum & negotiatores inuasit, duarumque cohortium hiberna proximo Oceano irrupit. Quin potius sæpissimè legimus, nostrates magis Britannica inuocasse auxilia, quàm Betuana. Sed nec opus quidem erat. Nonne certissimò constat Comites nostros è sola Batauiâ nostra, & minore Frisia (nunc simul Hollandiam ferunt) centena expeditorum millia in hostem sæpius eduxisse? Nihil igitur

tur vnquam Batauis cum Betuanis siue Sicambris commercij aut præsidij fuit. quos magis Gallis aduersus Cæsarem, quàm nostratibus suppetias misisse legimus; & propterea Iulium in eos mouisse; vt Romani nominis metu ac terrore quietos redderet Germanos. Sed quum illi ad primum nuntium in syluas se occulerent, Cæsarem accensis eorum agris ad Vbios se retulisse. Tradit præterea Strabo, Sicambros Rheni accolas initia belli factitasse; quod à plerisque Germaniæ populis aduersum Drusum Liuiæ Augustæ filium duce Molone Sicambro gestum est. Ex his & horum similibus pro confesso breuiter colligi potest, Gelros (siue Betuanos, siue Sicambros dixeris) semper ad hunc vsque diem Romanis infestos, & Gallis semper fuisse obnoxios; sed nobis quàm maximè aduersantes.

Habes vel tandem mi Reyneri, omnium quos antehac vidimus candidissime, & præter summam Medicæ artis notionem, haud vulgariter, & non sine plurimorum stupore in humanitatis studiis erudite: habes, inquam, hîc verum nostræ Batauiæ initium ibi proculdubio consistere, vbi Mosam non Walis, sed vbi Walim Mosâ prope Goricum excipit. Habes præterea abundè ostensum

sum Betuæ nomen recentioris esse ætatis; cuius nemo veterum Romanorum meminit, & quæ longè à Bethasia discrepet, quam sæpius vetusti scriptores memorant. Habes postremò nostram Batauiam minimè contractiorem esse quàm vt Romani Principes eam tanta fuerint dignati veneratione, suoque satellitio & mutua fraternitate, quæ vtique omnium insularum Rheni facilè nobilissima, mittebat Imperio viros etsi impari forsan numero, virtute tamen & fide omnium aliarum gentium præstantissimos. Verùm vnde & quando hæc Romanorum & Batauorum charitas & mutui amoris perpetuum fœdus originem habuerit; & vt longè ante Cæsaris tempora coaluerit; aliàs apertiùs *referemus.

De insularis nostre Batauiæ felicitate, cultu, deliciis & commerciis; quibus (veluti quoddam Orbis emporium) omnibus notissima est.

DE insulæ Batauinæ cultu, felicitate & commerciis loquuturus; quoniam proprio laus sordet in ore; nec quisquam sui suorumque testis legitimus perhibetur, in medium adducam virum mira ingenij dexteritate præditum, patria Mediolanensem,

E 3 arte

* In III. cap. libri quo De gloria & miseria septem artium liberalium agit, & Theologiã omnium facile principem statuit.

arte Medicum, nomine Aloysium Marlianum. Is pro confesso Batauiam asserens Hollandiam; in quadam Epistola D. Hieronymo Buslidiano, Arriensi præposito elegantissimè scripta, mihiq̄ue per nostrum Martinum Dorpium Theologum, virum omnium qui in humanis agunt longè candidissimum & iuxtà eruditissimum pridem transmissa, Batauiæ nostræ præconia accuratissimè decantat. cuius Epistolæ vtpote lectu dignissimæ ne fragmentum aliquod Lectoribus obuciam, totum exemplar adscribam.

Aloysius Marlianus D. Hieronymo Buslidiano Arriensi præposito Salutem.

RECTE feceris, mi Buslidiane, si meam solitudinem & raram cum amicis cœnandi consuetudinem in bonam accipies partem; naturæque id meæ dederis aut fortunæ. Naturæ, quæ vsque ab incunabulis ita me instituit, vt studiis potissimùm delecter meis, neque maiorem vllam iacturam putem quàm temporis: Fortunæ, quæ me adeù per vltima quæque exercuit, vt tandem satis latère mihi non videar, si etiam intra me ipsum latuero. Contineo igitur me apud me, & mihi viuo, cum veteribusque
amicis,

amicis, hoc est cum libris, quotidie magis in gratiam redeo; ex quibus non mediocrem fructum percipio, quum præteritæ fortunæ solamen, præsentis consilium, & futuræ remedium libri afferant, doceantq; non magis me lætæ nunc fortunæ credere, quàm docuerunt aduersam æquo animo ferre. His studiis, his amicis delector, mi Buslidiane, qui me apud te minimè ambitiosè excusant. Caue autem posthac ea vti mecum ironia, dum exoletas & immundas cœnas vestras narras. Iamdudum profectò ad Rhenum & Mosam Syrus Orontes decurrit; tantaque facta est ciuitatum, hominum & morum immutatio apud Germanos, Belgas & Batauos, vt noua historia indigeant. Quo fit, vt cum hæc mecum repeto, & cum præteritis præsentia confero, adducar Astro- nomis credere, Æthiopiam apud vos quandoque futuram. Quò enim prisca illi mores Germani & Belgæ? quò ardua & tetrica illa virtus, quæ mercatores vinum, nec aliud quicquam quod viriles eorū animos emol- lire posset, importare prohibebant, iuere? Tacitè in Galliam Belgicam & Germaniam commercio omnium gentium diuitiæ irre- psere. applaudente Germanis grauidis me- tallo, montibus natura, & vtrisque Rheno

Mosa & Oceano, continuatoque sibi navigatione penè toto orbe Europa, Asia, nuper Aphris & Indis commercio domesticis factis, orbis emporium & penè umbilicus facta est terrarum Gallia Belgica. cum diuitiis & regina pecunia, omnes gratiæ ac veneres pleno copiæ cornu venere in felicem Belgicam; cui nihil prorsus ad summam felicitatem deest, si non prisca virtus cum paupertate emigravit. Nitidi idcirco mundi que & elegantes sunt Belgæ, si omnibus conferras, præterquam Batauis. Ego enim eam insulam satis admirari non possum; siue rerum nouitate, siue pulcritudine, siue omnium rerum felicitate. Quid enim nouum magis, quàm videre Oceanum cum terris luctantem? terrasque solo paleæ intextæ & nodatæ scuto contra Oceanum tutas & vitricas? Quid ventos, dum rotas agunt flatu suo cum aquis quotidie pugnant, & quò velint aquas deriuatas? Quid denique admirabilius videri potest, quàm vno gelu totam concretam hyeme insulam cernere? vltroque citroque huc illuc virorum, fœminarum, puerorumque examina ferreis nescio quibusdam pedibus tam rapidè ferri, vt multos Icaros volantes putes & Dædalos? Redeunte autem anno, & apparente vere, quid

quid est ea insula formosius, quid viridius,
 quid herbosius, quid denique floridius? Spi-
 rant vndique opobalsama venti; prata ha-
 bent pascua, nemora, campos; tenent ar-
 menta prata; pascua nemora; feræ syluas; læ-
 ta & luxuriantes fegetes campos. Complect
 autem cælum vndique omnigenûm auium
 concentus. Scatet enim omnium auium
 genere, quas aut tellus pariat, aut aqua nu-
 triat. Hæc felix insula, cùm ad ciuitates
 peruentum est (libet ciuitates, non oppida
 appellare) offert se oculis tanta elegantia, vt
 sit non minus difficile, quò male diuertas
 quærere, quàm faciliè fortuitû & optimum
 hospitium inuenire. Immundi quicquam
 importari vetat ianitor, asperso sabulo vesti-
 bulo. Intus omnia sunt summè elegantia.
 Muri tabulati ex ligno quod sponte fluctu-
 antis maris vndas æmulatur, vestiuntur. Su-
 pellex ingens. argenti, æris, metalli, tapetis
 & picti est plurimum. Lineæ telæ niues can-
 dore vincentes plusquam dici potest. Vis
 dicam vno verbo elegantiam omnium? Ex-
 puendi locus non datur. Vnde sæpe mecum
 cùm in ea insula essem egi, natam ibi eam
 anilem fabulam: Cùm duo amici cœna-
 rent loco tam picto vt nefas videretur sputo
 aliquam particulam obtinere, in malefa-

Etiam socij faciem, natura fortè somniantedum eam faceret, expuisse. Vnde commotualtero, Parce inquit, respondisse, Amice nihil faciē tua turpius hoc in loco obuium oculis meis fuit. Est præterea nihil vsquam quo humana vita carere non debeat præstantius quàm ibi. Mirum est, quicquid beata hæc insula parit tam pulchrum est, vt matre Venere editum putetur. Dij boni, quales homines, quales fœminas, quos equos, quæ cerera armenta, quæ pecora parit! vltra verò mirari hanc soli felicitatem, accedit quòd cumulationem fortunam faciat copia rostratarum nauium tanta, vt penè Germanici, Britannici, & Gallici Oceani domina dicatur. quibus ad assidua quæcum omnibus gentibus exercet commercia vtitur. Insuper tanta est lanificij cura, vt ambigere quisquam possit, dicatam ne putet Mineruæ hanc insulam, an Veneri? Linæ autem preciosæ telæ Ochemeniis telis prælatæ summum est pretium. Et ne terrarum benignitati & summæ arti mare cedere videatur, tam piscosum & beatum est, vt piscando Bataui plus argenti & auri venentur, quàm extremis laboribus alij effodiant. Ad summum delectantis est opus naturæ, & vt poëtæ ferunt Dædalea est hæc insignis Batauorum

tauorum insula. quæ si ea forma priscis tem-
 poribus fuisset, amplam fabulæ materiam
 dedisset. Hanc profectò posthabita Cypro,
 Gnido, Papho, Cytherea Venus incoluisset.
 Sed quorsum feror? quid insanio? Noctuam
 Athenis ostendo, dum tibi Galliam Belgi-
 cam & Batauorum insulam pingo. Verùm
 non insanio, non casu sed consilio ad hæc
 litora delatus sum. Accuratiùs hæc percurri,
 ne posthac ironica nominis tui figura in nos
 feraris, dum vestris plus æquo detrahis, &
 Italis nostris eadem figura plus æquo tri-
 buis. Nisi semper velis nos irridere, & in
 Italicum fletum irrumpere; nobisq̃ue ex-
 probras quòd Troës fuimus. fuimus equi-
 dem Troës; nec est quicquam quod fortè
 nos futuros prohibeat. Petis à me, vt tibi
 Historiæ meæ copiam faciam. Mihi au-
 tem tantum otij nunquam fuit, vt possem
 historiam conari. Dices inquam, Ne vi-
 xisti. Vixi equidem. Scripsistine? Scripsi.
 Cur non edis? Non eadem est ratio scri-
 bendi & edendi. Scribere quocunque tem-
 pore possumus; edere autem nisi oportu-
 nè. Accedit, difficilius esse emissam rem
 reuocare, quàm edere. Victus tamen tuo iu-
 dicio, breui ad te studiorum meorum degu-
 stationem mittam. Sed caue ne te requisiti
 officij

officij, & contra me suscepti negotij pœnitent. Vale.

Iste Aloysius est Mediolanensis patria, Medicus primarius Caroli principis nostri, residens Mechlinia. Hieronymus Buslidianus patria Lucemburgensis, præpositus Ariensis in Arthesia, & frater quondam Domini Francisci Buslidiani archiepiscopi Bisuntini, primarij rectoris Philippi regis Castellæ, & c.

HÆc Marlianus suo præstantissimo candore & ingenio. Quid si istis addere pergam plurima Batauiæ nostræ commoda & delicias, quæ eius perpetuam, vt ita loquar, demonstrent beatitudinem? Habet enim in primis mare portuosum, omnibus finitimis apertum & expositum; monticulos obherbescenti viriditate amœnissimos; valles & palustria feris syluestribus refertissima; campos & saltus omnigeno pecore locupletissimos; Lucellos permeabiles & innoxios; nemora quoque omnis pro tempore amœnitatis & gaudij plena, vmbriſque opacis delectabilia; quas ne ipsæ quidem Gratia desiderent densiores. Lacunas insuper & stagna admodum piscosa. Flumina suo fluxu & refluxu colonis omnibus accommodatissima. agros frugum omnium
fertiles

fertiles : sed tamen spacio breuiore, quàm
 vt suum expascant possessorem. Sed si quid
 minus est tritici aut vini, hoc nostra nobis
 argenti copia abundantissimè ex omni na-
 tione subministrat. Postremò ciuitates ha-
 bet còplures opulentas, mœnibus & ædificiis
 permagnificas; pagosque & villas innume-
 rabiles. Vias negotiatoribus tutas, & prope-
 modum expositas; ita vt sine mora, quò ve-
 lis, siue rhedis, siue remis ocyus peruenias.
 Dent superi, vt de hac felici patria ad pa-
 triam æternæ claritatis pertingamus.

*His qua de Batavia nostra scripsimus, asti-
 pulatur validissimè noster Erasmus uni-
 cum Germaniæ lumen; ita inquit in
 Epistola quadam:*

CONVENIT inter plerosque doctos,
 nec id refragantibus coniecturis, eam
 insulam, cuius Tacitus meminit, esse quam
 nunc Hollandiam vocât; terram mihi sem-
 per & celebrandam & venerandam; vt cui
 vitæ huius initium debeam. Atque vtinam
 illi nos tam possimus honestamento vicif-
 sim esse, quàm illa nobis non est pœniten-
 da, &c. In Adagio Auris Batava.

*Hac noster Erasmus, simulatq; hunc no-
 strum legerat codicillum.*

CORNE-